



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De sacerdotibus, Missarum tempore si ægritudinis aliquis euentus eis
accesserit. lxx.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

logo tantummodo recipiendas, quas longè retro vetustas, in Romana Ecclesia hæctenus seruauit. Id est, vnam in albis Paschalibus. Aliam de Ascensione domini. Tertiam de Pentecoste. Quartam de Natali domini. Quintam de Apparitione domini. Sextam de Apostolis. Septimam de sancta Trinitate. Octauam de Cruce. Nonam de ieiunio in Quadragesima tantummodo dicendam. Has præfationes tenet & custodit sancta Romana Ecclesia. Has tenendas esse vobis mandamus.

De sacerdotibus Missarum tempore si ægritudinis aliquis euentus accesserit. Cap. LXX.

Nihil contra ordines statutum temeritatis ausu præsumatur, neque illa quæ summa veneratione censentur, vel minimo præsumptionis tactu soluantur, quum adhuc tantum fieri iussa sunt, nec interrupta noscuntur, ne languoris prouentu, robore salutis natura priuetur. Non ergo solùm fragilitati consulitur humanæ, sed etiam sacris mysteriorum Dei, prouidentur habere sollicitudinem. Censuimus igitur conuenire, vt quum à sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat quilibet euentus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum episcopo vel presbytero, vt alter cōsecrationem expleat officij cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quàm aut incipientis aut subsequenter complenda benedictione sacerdotis, quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Quum enim simus omnes vnum in Christo, nihil contrarium diuersitas format, vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Quod etiam consultum cuncti ordinis clerici inditum vel indultum esse sibi non ambigant, sed vt præmissum est, præcedentibus statim alij pro complemento succedant. Ne tamè quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem conuertatur, nullus post cibum potumque siue quodlibet minimum sumptum Missas facere, nullusque absque patentis prouentu molestiæ minister vel sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

M. iij

*Ex cōcil.
Toletã. 8
cap. 2.*